

**Analecta ad gravidarum parturientium et puerperarum albuminuriam :
dissertatio inauguralis medica quam consensu et auctoritate gratiosi
medicorum ordinis in alma Litterarum Universitate Friderica Guilelma ut
summi in medicina et chirurgia honores rite sibi concedantur die XV. m.
Augusti a. MDCCCLIII ... / publice defendet auctor Carolus Aemil. Ludov.
Mayer ; opponentibus A. Stich, G. Siegmund, G. Ohrtmann.**

Contributors

Mayer, Carl Emil Ludwig, 1829-
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typis Gustavi Schade, 1853.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/q4pd63zn>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

9 1/2
90

ANALECTA
AD GRAVIDARUM PARTURIENTIUM
ET PUERPERARUM ALBUMINURIAM.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FREDERICA GUILLIELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XV. M. AUGUSTI A. MDCCCLIII
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR
CAROLUS AEMIL. LUDOV. MAYER
BEROLINENSIS.

OPPONENTIBUS:

A. STICH, MED. ET CHIR. DR., MED. PRACT.
G. SIEGMUND, MED. ET CHIR. DR.
G. OHRTMANN, MED. ET CHIR. DR.

BEROLINI
TYPIS GUSTAVI SCHADE.

151

ANALYTA

AD GRAVIDARUM PARTURIENTIUM
ET PURPERARUM ALBUMINURIAM

DISSERTATIO

IN AUCTORITATE MEDICA

PRO

CONSENSU ET AUCTORITATE

ORDINIS MEDICORUM

IN

ACADEMIA LITTERARUM UNIVERSITATIS

WITTENBERGENSIS

Digitized by the Internet Archive
in 2016

IN MEDICINA ET OBSTETRICIA HONORIS

ALIIQUE CONCORDANTIA

THE XV. M. AUGUSTI A. MDCCCIII.

M. D. C.

PROFESSOR DEFENDIT

AUTOR

CAROLUS AMELIUS LUDOV. MAYR

PROFESSOR

OPONENTIBUS:

A. EICH, MED. ET OBST. DR., MED. PRAC.

G. SINGHEIM, MED. ET OBST. DR.

G. ORTMANN, MED. ET OBST. DR.

RECTOR

THEO. GUSTAV. SCHADE

VIRIS

CLARISSIMIS AMPLISSIMIS DOCTISSIMIS

A. J U N G

MED. ET CHIR. DOCTORI REGI A CONSILIIIS SANITATIS

ALIAS

CLARISSIMIS AMPLISSIMIS DOCTISSIMIS

NEC NON

MD. ET CHIR. DOCTORI REHI A CONSULTIS SANITATIS

F. J U N G

PHARMACOPOLAE

PATRUIS DILECTISSIMIS

DE RE MEDICA MERITISSIMIS

HASCE LITERAS

GRATO ANIMO

OFFERT

AUCTOR.

Quum majoram mos exigit, ut ad consequendos summos in utraque medicina honores opusculum inaugurale conscribatur, tironibus autem medicis absoluto studiorum cursu raro obtingat occasio, novi aliquid et notatu digni in lucem proferendi, aptissimum duxi, observationes mihi oblatas quam exactissime possem explanare, ne res in facto positas ab alias observatas colligere et latino sermone reddere cogerer.

Quibus pensitatis, urinam gravidarum, parturientium et puerperarum iterum iterumque examinavi, per ill. Professore Klein in instituto obstetricio Vindobonensi crebram opportunitatem adeptus. Etiam si scientiae multum lucri me allaturum esse dubito, fore tamen spero, ut nonnulla attentione haud indigna hisce litteris consignem, quae lectorum indulgentium mihi paratura sint.

Uroscopia jam vetustissimis medicis haud levis existimabatur, scimus enim antiquiores ex urina edidisse praesagia, seriores e pulsuum, linguae et urinae mutatio-

nibus omnes morbos cognosci posse persuasum habuisse. Quantum dignitatis ad nostrum usque aevum urinae in crisiologia assignatum est! Recentiores demum, auctis chemicarum et microscopicarum disquisitionum incrementis et lotii examine lucis aliquid physiologicis et pathologicis processibus affuderunt et dubitare vix licet, quin continuata secretorum et excretorum, praesertim urinae investigatione, multae res in facto positae aliquando illustrentur.

Quum ad exarandum hoc opusculum gravidarum, parturientum et puerperarum urinam perquirerem, imprimis ad albuminuriam, proxime quidem ad cylindros fibrinosos in renibus ortos animum meum adverti, et hasce quaestiones dirimendas mihi proposui:

I. *Utrum albuminuria graviditati normali supervenire,*

II. *an partus actu produci queat?*

III. *Quidnam detrimenti albuminuria in decursum graviditatis partus et puerperii exserat?*

IV. *Quid commercii albuminuria gravidarum, parturientum et puerperarum cum renum morbis alat?*

V. *Qualis albuminuriae in eclampsia ratio sit?*

Inter mulieres 182, quarum lotium examinavi, triginta sex albumen¹⁾ obtulerunt, et quidem inter 106 gravidas

¹⁾ Urina solum cathetere evacuata paullo post evacuationem examinabatur. Albuminis investigatio Acido nitrico, vel

quinque, inter 76 parturientes et recentes puerperas triginta et una, aut si computamus centesimas, inter graviditatem apud centum 4,71, inter parturitionum et paullo post partum apud centum 40,78. Ex quibus patet, albuminuriae apud gravidas obviae rationem esse 1 : 21,21, apud parturientes et puerperas recentes 1 : 2,45. Inter gravidas 106 supra memoratas 77 mensem novum et decimum, 25 septimum et octavum agebant, 8 septimum mensem nondum attigerant.

Prima quaestio, utrum albuminuria normalem graviditatem excipere queat, singularibus in casibus numquam cum evidentia dirimi potest. Fieri enim potest, ut momenta quaedam incognita praeter graviditatem efficacitatem exserant. Ipsam graviditatem inducere posse albuminuriam, his observationibus admodum probabile redditur.

Maria G. primipara, novem et viginti annos nata, decimum graviditatis mensem agens, valida ac bene nutrita, praeter morbos pueriles exanthematicos numquam graviolem aegrotationem sustinuerat. Graviditatis decursus normae plane respondebat. Exeunte Januario anni 1853 in institutum obstetricium recepta nihil symptomatum morbosorum obtulit. Venter liquore amnii non mediocriter inflatus, foetus satis magnus fuit. Decimo ante moliminum

ebullitione, et guttulis quidem Acidi acetici nonnullis, si neutrali vel alcalina reactione erat urina, additis instituta; reactio alcalina semel modo in morbo vesicae urinariae observata est.

introitum die urina primum examinabatur, quae reactionem intense acidam ostendebat, parca salia urica demittebat, exiguam albuminis copiam, nullos autem cylindros continebat. Disquisitiones quotidie repetitae eundem semper eventum prae buerunt. Postridie kal. Februar. Maria G. infantem maturum eumque sanum facili celerique partu edidit.

Urina aliquot post partum horas examinata nihil albuminis exhibuit, quod etiam per totum puerperii tempus non rediit. Elapsis novem post partum diebus, mulier sana validaque dimittebatur.

Quodsi albuminaria, uti in casu relato, aliquamdiu persistit, paullo post partum evanescit neque revertitur, si praeterea nullae ejus causae indagari possunt, nihil superest, quam ut ejus originem a graviditate repetamus.

Idem simili ex casu ratiocinari licet, quo albuminuria tertio demum post partum die evanuit. Tertio in casu partus et puerperium normali utebantur decursu, per graviditatis tempus autem ultimis hebdomadibus vertigo, nausea frequens, vomitus sine hydrope anasarca apparuerant, albuminuria nondum cesserat, quum mulier dimitteretur. In quarto et quinto casu, quibus albuminuria graviditatem comitabatur, semel morbus vesicae urinariae, semel typhus lentescens aderat, qui novissimis duabus ante partum hebdomadibus evolvebatur. Proinde ultima tria exempla ad dirimendam nostram quaestionem nihil faciunt.

Albuminuriam partus actu posse produci, duo probant casus, qui sequuntur.

Anna B. primipara, novem et viginti annos nata, corpore valido, tam ante quam inter graviditatem optima vicens valetudine, decimum graviditatis mensem agens, die Decembris decimo 1852 sub horam vespertinam sextam primis moliminibus tentabatur, quae haud multum energiae ostendebant. Urina sub horam vespertinam septimam examinata reactionem acidam exhibens, clara et albuminis expers erat; eadem hora vespertina nona, qua molimina ingravescabant, parturiens magnas faciebat contentiones et caput infantis per pelvim minorem lente descendebat. Ab hora septima et dimidia ad decimam usque matutinam caput usque ad exitum genitalium externorum deductum propter horum angustias et perinaei rigiditatem edi non poterat. Tandem partus moliminibus gravissimis et efficacissimis parturientis contentionibus sine artis auxilio perficiebatur.

Secundinarum periodus normalem habuit decursum. Urina trihorio post partum elapso iterum examinata non modo acidam praestitit reactionem, sed etiam magnam albuminis quantitatem obtulit, quod decrescente quantitate per duos post partum dies in lotio inveniebatur. Tertio die evanuerat et usque ad octavum diem, quo mulier dimittebatur, non rediit. Cylindri fibrinosi e canaliculis uriniferis secedentes non animadvertabantur.

Agnes M. primipara, duorum et triginta annorum, ad graviditatis initium usque bona gaudens valetudine, normalem graviditatis decursum exhibuit. Die undevicesimo Novembris a. 1852 sub horam matutinam quintam prima apparebant molimina et parturiens dicto die in institutum obstetricium recipiebatur. Os uteri grossi argentei amplitudinem paullulum superabat. Inter molimina satis fortia, quibus orificium uteri ad thaleri imperialis magnitudinem aperiiebatur, sub vesperam vesica conformabatur. Hora meridiana prima, moliminibus igitur per septem horas protractis, urina perquirebatur, quae acidam praebens reactionem colorem aureoflavum ostendit, refrigerata et aliquamdiu seposita parvum sedimentum demisit. Eadem ejus ratio fuit sub horam vespertinam septimam, quum molimina sedecim horas perdurassent. Ab hora vespertina octava molimina increverunt, per breve tempus intermiserunt, tum magis continua evaserunt, caput diametro transversa, fonticulo minore sinistrorsum spectante, persistente vesica in pelvim minorem descendit. Sub horam matutinam quintam vesica rumpebatur, et caput paullo post diametro transversa usque ad genitalium externorum exitum demittebatur. Ab hora inde quarta molimina admodum fortia et dolorifica erant. Quibus per nycthaemeron protractis, circa horam matutinam quintam et dimidiam urina cathetere evacuata magnam albuminis quantitatem continebat, acidam reactionem, co-

lorem limpidum, aurantiacum offerebat. Praeter epithelia nonnulla emplastracea microscopio nullae partes configuratae observabantur. Sub horam matutinam septimam et dimidiam molimine quodam fortissimo caput circa axim rotabatur.

Fonticulus minor antrorsum vertebatur et hora octava diei vicesimi Novembris puer maturus, vivus edebatur. Placenta horae quadrantem post partum secundum normam secessit; mater aliquanto languida, ceterum sana fuit. Nihilominus urina die primo et vicesimo Novembris praeter albumen sat multos cylindros fibrinosos pallidos continuit.

Tam albumen quam cylindri illi, etsi minori copia, usque ad mulieris dimissionem, octavo post partum die, inveniebantur; valetudo nihil erat turbata.

Utroque in casus partus, moliminibus fortissimis, retardatus fuit, quo ex fonte fortasse albumen in urina derivare licet. Infitiandum tamen non est, momenta concomitantia singularia adesse debere, quoniam similibus sub conditionibus, partu etiam diutius protracto, nihil albuminis deprehendi. Minus quidem mirabimur, priore in casu albumen biduo post partum ex urina esse excretum, quam in altero post longius adeo tempus a partu cylindros fibrinosos apparuisse, quo directa partus efficacitas non amplius persistere potuit.

Ex his modo concludere liceret, processum secreto-

rium anomalum, in renibus semel exortum, non modo simili ratione per longius tempus continuari, si momentum causale jam cesserit, verum etiam in processum exsudativum abire posse.

Ad dirimendam quaestionem, utrum albuminuria partus actu possit produci, non praetermittenda est numerorum ratio, quae in casibus 182 sese obtulit. Inter gravidas 106 sex, inter parturientes 76 una et triginta albuminuriam exhibuerunt, et si ab una et triginta observationibus eas eximamus, quibus eclampsia affuit, tamen albuminuria apud parturientes 5,3 saepius, quam apud gravidas observabitur, ita ut e parturientibus 53 albuminuria correptis modo decem gravidae eandem obtulerint. Quae numerorum ratio propter exiguam nostrarum observationum copiam non absolute quidem certa haberi potest, ideoque dignitate caret, verumtamen ex ea fortasse ratiocinari licebit, partus actum albuminuriae momentum causale suppeditare posse.

Tertiam etiam quaestionem, utrum albuminuria in graviditatis, partus et puerperii decursum inimice agat, observationibus meis innixus dirimere conabor, omissis septem casibus, quibus eclampsia, uno, quo epilepsia locum habuit.

Inter 28 individua albuminuriae obnoxia duo jam graviditatis tempore aegrotabant; amborum supra mentionem feci, e reliquis, quibus albuminuria brevi ante aut brevi post partum supervenit, duo perierunt.

Anna Z. primipara, septem et triginta annos nata, partum gemellum satis diuturnum et difficilem enixa est. Urina post primi infantis partum albuminis copiam exiguum praebeuit. Quarto puerperii die febris puerperalis ingens emersit, albumen urina contentum increvit, et cylindri fibrinosi pallidi apparuerunt; septimo die aegrota obiit.

Elisabetha F. multipara, duos et triginta annos nata erat, apud quam, quia extra institutum obstetricium situs infantis transversus neglectus fuerat, decapitatio hujus institueretur necesse erat. Albumen non statim post partum in urina reperiabatur, quamquam febris levior continua aderat. A quinto inde die magnus aestus, ventris et capitis dolores accesserunt. Die nono diarrhoea cum vehementibus ventris torminibus, dyspnoea, febris ingens, lienis intumescencia se manifestarunt. Die decimo septimo exsudata satis ampla in ventris et thoracis cavitate cognoscebantur, vicesimo die aegrota mortem occubuit. Lotium a quinto inde die usque ad mortem albuminis copiam mediocrem, cylindros autem fibrinosos ultimis demum vitae diebus ostendit.

Instituta sectione, utroque in casu renes non degenerati, sed pyramidam ejus affectio crouposo-catarrhalis inveniebantur.

Quodam in casu tumor ovarii post partum inveniebatur. Anna S. multipara, unum et triginta annos nata,

inter motus febriles vehementesque dolores in loco circumscripto partis inferioris sinistri abdominis, postquam molimina horas duodeviginti perduraverant, infantem maturum mortuum sine artis auxilio ediderat. Contracto utero, tumor immobilis in parte sinistra inferiore abdominis sentiebatur, qui primis post partum diebus dolorificus, serius autem doloris expers erat, et tricesimo secundo post partum die, quo mulier dimittebatur, eundem ac antea ambitum ostendebat. Albuminuria septem post partum dies perstitit, postea non amplius rediit.

Ter levis metritis inter puerperium observabatur.

Rosa T. primipara duodeviginti annorum, partum facilem ediderat. Urina primum examinata duas post partum horas exiguam albuminis portionem continebat, quae absque essentiali mutatione usque ad undecimum a partu diem, quo dimissa est puella, observabatur.

Josepha A. primipara, viginti annos nata, inter molimina per horas quinque et viginti protracta infantem vivum situ faciali sine artis adminiculis enixa erat. Puerpera statim post partum conquerebatur aestum, dolores ventris, motus febriles haud mediocres; urina albuminis modicam quantitatem obtulit. Aegrotae conditio mox in melius vertebatur, ita quidem, ut decimo post partum die sanata et albuminuriae expers dimitti posset.

Maria K. quinque et viginti annorum, multipara, pelvis angustis laboravit, quamobrem infans moliminibus per

horas quadraginta et unam protractis perforabatur. Tertio post partum die motus febriles leviores uterique dolores accesserunt. Urina albuminis portionem parvam ostendit, postquam molimina horas viginti sex perstiterant, ad quartum usque diem albumen decrevit et quinto die penitus evanuit, etsi tertio demum post partum die puerpera aegrotaverat. Valetudo tarde restituebatur et elapsis septemdecim diebus puerpera sana dimittebatur. Cylindri fibrinosi non apparuerunt.

Elisabetha B. primipara, viginti annos nata, ulceribus syphiliticis satis amplis labiorum pudendi laborabat et symptomata syphilidis secundariae jam offerebat. Filiam maturam vivam sine ullis anomaliis peperit. Urina inter partum bis examinata sat largam albuminis quantitatem, nullos autem cylindros fibrinosos ostendebat. Quum puerpera protinus ad syphiliticam nosocomii stationem deferretur disquisitiones repeti non poterant.

Denique albuminuria apud primiparam unum et triginti annos natam observabatur. Catharina W., inde a prima infantia multis morbis tentata, saepius, ut retulit, feбри nervosa et hydropsiis laboraverat. Anno aetatis decimo tertio sine causis externis manifestis columnae vertebralis kyphosis in regione vertebrae thoracis secundae ad septimam usque accessit, abs quo inde tempore valetudine prospera se gavisam esse narrat. Catamenia vitae anno vicesimo apparentia normae consentanea fuerunt.

Graviditas decursum absolvit normalem. Puella in institutum obstetricium recepta usque ad septimum graviditatis mensem processerat; ante quatuordecim dies oedema faciei artuumque exortum erat, quod sine aliis symptomatibus perstitit. Die receptionem antecedente gravem experta erat stomachationem, quo facto haemorrhagia partium genitalium cum doloribus moliminum similibus intravit. Infantem septimestrem mortuum praeviis clunibus sine nova haemorrhagia edidit; tam partus ipse, quam secundinarum periodus normae responderunt, puerpera bene se habuit et praeter oedema nihil morborum obtulit. Urina ante moliminum evidentium introitum, inter partum et protinus post eum satis multum albuminis habuit, quod horis quatuordecim post partum elapsis valde decreverat, sequentibus diebus magis magisque diminuebatur, decimoque die prorsus evanescebat; cylindri fibri-
nosi haud aderant. Urina post partum edita satis copiosa, pallido flava, acida, phosphates et oxalates demittebat. Oedema intra decem post partum dies vix minuebatur, et quo die puerpera ex instituto discessit, nondum evanuerat.

Jam albuminuriae observationes traditurus sum, quibus nulla morbosa symptomata animadvertabantur. Irregulares infantis situs partusque retardationes hic accuratius non considerabo, quatenus causam quidem, minime autem sequelam albuminuriae exhibere possint. Dimidia observationum mearum pars, quibus albuminuria exstitit,

huc referenda est. Omissis omnibus disquisitionibus, brevem horum casuum synopsis apponam.

Inter duodeviginti observationes decem ad primiparas, octo ad multiparas spectabant; una tantem quatuor ante partum hebdomadibus leviter aegrotaverat, reliquae omnino sane fuerant; excepta una omnes decimum graviditatis mensem, illa mensis noni initium agebat. Partus in tredecim casibus sine anomaliis peragebatur. In duobus supra jam descriptis expulsio foetus situ capitis transverso profundiore et genitalium exteriorum angustiiis retardabatur. Tribus in casibus propter irregularem infantis situm operatione opus erat.

Molimina protrahebantur

apud septem parturientes	3 — 10	horas
” quatuor ”	10 — 20	”
” quinque ”	20 — 30	”
” duas ”	30 — 40	”

Urina bis inter graviditatem, sexies ineuntibus moliminibus, octies inter parturitionem, bis paullo post partum examinabatur. Quinque in casibus major, in tredecim minor albuminis copia reperiiebatur. Cylindri fibrosi octies observabantur.

Albuminuria evanuit:

Bis aliquot post partum horas,

quinquies 48 post partum horas,

bis die tertio post partum,

semel die sexto post partum,
sexies dimissae ab ea nondum liberatae erant.

Cylindri fibrinosi vel ante albuminuriam vel cum ea
evanuerunt.

In omnibus hisce casibus longe major gravidarum
numerus haud aegrotaverat. Inter paucas aegrotationes,
quae cum urinae secretionem commercium alere possent,
ille tantum casus pertinet, quo hydrops universalis locum
habuit, cujus non alia causa indagari poterat, quam magna
virium inanitio et anaemia. Quae si ita se habent, oedema
universale sine ullis albuminuriae vestigiis inter graviditatem
haud raro occurrit.

In graviditatis diuturnitatem albuminuria nullam ex-
seruit efficacitatem, duobus enim in casibus, quibus par-
tus praematurus edebatur, causa in psychica gravidae
excitatione et in traumatica injuria collocanda erat.

Perturbationes quoque ad partus decursum pertinen-
tes ex albuminuria minime prodierunt.

Nec aegrotationum puerperis supervenientium ulla
albuminuriae certo imputari potest. Quae de oedemate
graviditatem concomitante retuli, etiam de puerperarum
oedemate valent.

Reliquis in casibus albuminuria aucto morbi processu
ita accrevit, ut in casu quodam lethifero albuminuria
cum cylindrorum fibrinosorum excretionem quinto demum
post partum diem accederet, quo puerpera gravius aegro-

taverat; altera parte albuminuria certam cum morbi incremento proportionem non exhibuit.

Denique matris albuminuria nihil detrimenti infanti intulit, duobus enim in casibus, quibus mortuus erat foetus, aliae causae indagari poterant. Praeter foetum sanum octimestrem omnes vivi, maturi, sani erant.

Quatenus albuminuria gravidarum, parturientium et puerperarum cum renum morbis commercium habeat, observationibus tantum circa vivas institutis earumque comparatione cum accuratioribus renum disquisitionibus dirimi potest. Quanquam meae ipsius observationes parum sufficiant, quoniam inter octo et viginti casus modo duo exitum lethalem sortiebantur, tamen persuasum habeo, ad decernendam illam quaestionem me quidquam posse conferre, si rebus in facto positis attentionem impendam.

Simplex albuminuria saepius inter graviditatem observata primum ita explicari potest, uti Simon (Medizinische Chemie Bd. II.) et Schmidt (Charakteristik der Cholera) explicuerunt. Qui auctores albuminuriam apud sanissimos homines variis ex causis, ut coenas largiores, vehementes circulationis excitationes etc. transitoriam observarunt. Haec albuminuria haud dubie nullius momenti est, et sine renum aegrotatione exoritur. Deinde vero aequae ac albuminuria in iis processibus morboſis sese habere potest, qui turbato sanguinis circuitu mechanicam renum hyperaemiam efficiunt, aut certam eorum aegrotationem,

quae demonstrari potest, sistunt. His in casibus fieri potest, ut albuminuria duce Frerichs antesignanus „Morbi Brightii“ habeatur, aut leviores adsint renum mutationes, quae a corporis conditione pendeant, et cum hac vel evanescant, aut semel exortae in morbos graviores abeant. Pluribus in casibus secundam rationem evenire existimo. Quodsi cum albuminuria cylindri fibrinosi occurrunt, minime renum degenerationem argumentantur. Catarrho majorum bronchiorum exorto non statim pneumonia timetur, quamquam ex eo prodire potest. Item et catarrhus et crouposa affectio canaliculorum renalium rectorum non protinus de renum degeneratione sollicite cogitari jubent.

In utroque casu, qui lethiferum exitum sortiebatur, inter vitam albumen et cylindri fibrinosi reperiiebantur. Renes processum crouposo-catarrhalem ostendebant. Reliquis in casibus, quibus cylindri fibrinosi apparebant, generatim octo in exemplis, una cum albuminuria

semel paucas post partum horas	
ter die secundo post partum	
bis die quinto	“ “
semel die sexto	“ “ evanuerunt,
bis cum albumine adfuerunt, quo tempore puerpera	
dimittebatur.	

Semper *cylindri pallidi nec admodum numerosi* inveniebantur. Partim hoc, partim illud, quod simul cum

albuminuria mox post partum omnibus in casibus, exceptis duobus evanuerunt, ratiocinari nos jubet, in omnibus illis casibus graviolem renum affectionem non adfuisse, quae utrum adfuerit in utroque casu ultimo, dirimi nequit.

Copia albuminis in lotio plerisque in exemplis parca, in quinque eorum satis larga fuit, at ne hac quidem ex re de praesentia aut defectu gravioris renum morbi quidquam certi concludere licet.

Jam quintam aggredior quaestionem, qualis inter albuminuriam et eclampsiam¹⁾ ratio intercedat.

Intoxicatio uraemica a Frerichs proposita multorum mentes occupat. Moris est, ut convulsiones cum urinae albumine et secedentibus ammoniaci hydrochlorati vaporibus, si acidum hydrochloratum ori admoveatur, pro uraemica intoxicatione habeantur, quamquam rarissimis in casibus argumentum indubitatum, nempe ammoniaci carbonati praesentia, in sanguine *recente* exhibitum est. In eclampsia lotium ea criteria prae se fert, quae forma acuta degenerationis renum ostendit, et ubi convulsiones et coma accedunt, saepe de uraemica intoxicatione agi existimant. Quae eclampsiam interpretandi ratio non minus temeraria videtur, quam typhoideam choleram, ergo perversa.

¹⁾ Apud bis mille partum enixas septies eclampsiam observavi, id est semel apud centum et octoginta sex. Gravidarum triginta sex albuminuria laborantium quinta pars eclampsiae obnoxia fuit.

Quodsi utrumque comparamus processum, qui eadem basi (Uraemia) niti dicitur, diversitatem utriusque admirerur necesse est. Uterque modum exquisitum prae se fert, minime solo gradu differentum. Convulsiones cholerae typhoideae supervenientes imprimis apud infantes occurrunt, in universum autem rariores et plerumque partiales sunt; totus processus pathologicus magis typhosae aegrotationis effigiem exhibet. Quid est, quod eclampsiae imago praecipue convulsionibus illis universalibus gravissimis constituitur, quibus aegrotantes succumbunt, cur istae convulsiones saepe subito, typhosis symptomatibus haud praegressis, irruunt? Certe istae differentiae admodum sunt perspicuae, quae vix uno eodemque processu, uti uraemia, explicari queant.

Ceterum cogitare vix licet, sine praegressis phaenomenis uraemicam intoxicationem intra puerperium derepente posse oriri. Exemplum a me observatum apponam, quo hoc probatur.

Anna M. multipara unum et viginti annos nata, ante graviditatem regulariter menstruata, bona valetudine vicens et numquam spasmis tentata, graviditatem plane normalem absolvit, et moliminibus per quadraginta quatuor horas protractis, quum aquae trihorio ante effluxissent, die tricesimo Januarii 1853 infantem vivum maturum edidit. Tres per horas infantis caput ante genitalium externorum exitum substiterat, aliae anomaliae inter partum locum

non habuerant. Placenta sua sponte tres horae quadrantes post partum secessit. Neque oedema nec alia phaenomena morbosa ante vel post partum apparuerunt. Puerpera praeter levem languorem nihil sensit anomali. Uterus se contraxerat; lochia satis larga, cruenta, lactis secretio adfuerunt. Horis duodecim post partum elapsis, subito convulsiones universales irruebant, quibus brevis sopor successit; aegrotata post septem minutas expergefata mentis omnino compos erat, verumtamen aestum, sitim, cephalalgiam, languorem conquerebatur; pulsus 120 ictus intra minutam obtulit. Post trihorium alter insultus convulsivus intravit, quinque minutas continens, cui etiam coma per septem minutas protractum, deinde perfectus conscientiae reditus successerunt.

Urina statim post primum insultum cathetere emissa multum albuminis magnumque numerum cylindrorum fibrinosorum homogeneorum multumque epithelii habuit, et breve post tempus crystallos uricas excrevit. Eadem urinae ratio post alterum insultum fuit. Tertius paroxysmus non accessit. Puerpera in universum bene se habuit, caput expeditum, regio uterina autem pressione dolorifica fuit, leve faciei oedema jam post primum insultum animadvertebatur. Insequentibus diebus symptomata morbosa cesserunt, albumen simul decrevit et quinto post partum die cum cylindris fibrinosis plane evanuit. Puerpera decimo die omnino sana dimissa est.

Hoc in casu, quod equidem judico, intoxicatio uraemica confirmari non potest. Certo argumento haec intoxicatio esset refutata, si albumen et cylindri fibrinosi ante primum insultum in urina defecissent; dolendum vero est, lotium prius exploratum non esse.

Neque minus usus salutaris, quem narcotica praestant, eclampsiae et intoxicationis uraemicae identitatem refutare videtur. Nuperiori tempore Chloroformio-narcosis iterum iterumque adhibita Vindobonae egregias eclampsiae suppetias tulit. Opium prius commendabatur. Non plane interpretari licet, quomodo fiat, ut noxia ammoniaci carbonati efficacia narcosi tollatur. Pensitare fortasse possumus, nervorum systema per momenta ineunte narcosi illius effectus damniferi patiens reddi, qui tamen, sublata narcosi, iterum se manifestet necesse sit.

Qui eclampsiae et intoxicationis uraemicae identitatem profitentur, magnam albuminis et cylindrorum fibrinosorum copiam in urina summi momenti esse putarunt inter graviditatem, partum et puerperium, indeque convulsionum nomen conformarunt. Ubi multum albuminis et cylindrorum fibrinosorum exstat, convulsiones eclampsiam, ubi minus, epilepsiam, hysteriam, convulsiones cerebrales appellaverunt. At vero major albuminis et cylindrorum fibrinosorum quantitas conditione prorsus normali apud parturientes et gravidas in urina apparere potest.

Quibus reputatis, judicare licet, tam iniquis omnium corporis functionum conditionibus, quales convulsionibus generatim efficiuntur, albuminis et cylindrorum fibrinosorum copiam etiam iis in casibus, quibus convulsiones basi epileptica, cerebrali aut hysterica nituntur, ad summum gradum evehi posse. Ipse exemplum observavi, quo cum habituali epilepsia indubitata convulsiones ante et post partum epilepticam naturam imitantes exstiterunt, nihilominus autem multum albuminis et cylindrorum fibrinosorum in urina apparuit. Saepius quidem in aliis convulsionibus similibus vestigia tantum albuminis et parum cylindrorum fibrinosorum, uno in casu, quo insultus repetebantur, nihil albuminis vel cylindrorum inveni. Apud gravidam quandam, sexto mense praegnantem, praegressis symptomatibus typhosis, convulsiones exortae sunt, lotium non magnam quantitatem albuminis et cylindrorum fibrinosorum habuit. Aegrota mortem obiit, et instituta corporis sectione, meningitis et crouposa renum affectio satis diffusa in conspectum prodierunt. — Negativa argumentatio, ubi objectivae tantum observationes rem dirimunt earumque numerus haud sufficit, manca est. Proinde etiam exempla ultimo loco memorata nihil argumentantur, imo una observatio, qualem praebuit individuum cum epilepsia, ratiocinia ex illis deducta subvertit.

Modum excederemus, si fieri posse negaremus, ut

eclampsia ex renum degeneratione et uraemica intoxicatione per hanc exorta originem ducat. In longe majori autem casuum numero anomala secretio et degeneratio renum sequelam non causam eclampsiae, ut videtur, sistunt.

Intoxicationem non uraemicam quidem sed substantiis quibusdam decompositioni obnoxiiis inductam saepius in eclampsia statuerim, id quod Dr. Stich experimentis notatu dignissimis circa cholerae processum demonstravit (Annalen des Charitékrankenhauses, Jahrgang III. Heft II.). Momenta quaedam atmosphaerica et tellurica, nobis plane incognita, hic pariter ac in cholera partes suas agere, vero consentaneum esse videtur. In institutis obstetriciis amplioribus observatum est, eclampsiam periodice, intervallis brevioribus sese excipere (Scanzoni, Lehrbuch der Geburtshülfe. Wien 1850 Bd. II. pag. 389).

Quodsi ea, quae ex observationibus nostris redundant, breviter complectimur, sequentia profiteamur necesse est.

I. *Albuminuria sola graviditate induci, sine mutationibus renum gravioribus existere, et post partum evanescere potest.*

II. *Parturitionis actus albuminuriam potest evocare*, et quidem oblatis certis conditionibus, molimina fortiora et diuturna causam occasionalem suppeditare videntur.

III. *Albuminuria inter graviditatem, partum et puerperium oriri, et deficientibus omnibus symptomatibus morboris, per brevius longiusve temporis spatium protrahi potest.*

IV. *Renum aegrotationum apud gravidas, parturientes et puerperas, albumine et cylindris in urina apparentibus, ea est ratio, quam in Virchow's Archiv (Bd. V. pag. 197 ff.) de renum morbis generatim exposui.*

V. *Albuminuria eclampsiae semper supervenit, plerisque autem in casibus non causam ejus sed effectum exhibet.*

V I T A.

Carolus Aemilius Ludovicus Mayer, confessioni addictus evangelicae, natus sum Berolini die nono mensis Aprilis A. 1829, patre Carolo med. et chirurg. doctore, matre Aemilia de gente Martins, quos deus optimus maximus salvos et incolumes mihi servavit. Primis litterarum rudimentis domi imbutus septem per annos gymnasium Leucophaeum Directoribus beato Ribbeck et Ill. Bellermann frequentavi. Tempore autumnali A. 1849 abiturientium examen sustinui et maturitatis testimonio munitus litterarum universitatem Halensem petii, ubi Ill. Meier, tunc temporis Prorector magnificus, civium academicorum numero, beatus Friedlaender, tunc temporis decanus facultatis medicae plurimum spectabilis, medicinae studiosis me adscripserunt.

Disserentes ibi audiavi Ill. D'Alton de anatomia microscopica et descriptiva, Beat. Germar de mineralogia, Ill. Erdmann de logice, metaphysice, psychologia, Beat. Friedlaender de encyclopaedia et methodologia medicinae, Ill. Volkmann de osteologia comparata, Ill. a

Schlechtendahl de botanice universa, Ill. Burmeister de zoologia universa et mastozoologia, Beat. Marchand de physice experimentalis.

Autumno A. 1850 litterarum universitatem Herbiopolitanam adii et Rectore magnifico Ill. Edel inter cives academicos receptus sum.

Ibidem scholis interfui his: Ill. Scherer de chemia universa, organica, analytica, medica, Ill. Koelliker de physiologia, microscopia, anatomia comparata, Ill. Virchow de anatomia pathologica generali et speciali, nec non de generali pathologia, Ill. Schenk de botanice medica, Ill. Scanzoni de arte obstetricia theoretica, Ill. Rienecker de materia medica, Ill. a Marcus de therapia et pathologia speciali. Praeterea cadavera secandi artem addidici, laboratorium chemicum, scholas clinicas Ill. a Marcus et Ill. Scanzoni frequentavi.

Autumnali tempore 1853 ad universitatem Vindobonensem me contuli, ubi Ill. Rokitansky rector magnificus me recepit, et Ill. Kurzak in medicinae studiosorum numerum retulit. Scholas adii Ill. Oppolzer de pathologia et therapia speciali medica cum clinico, Ill. a Dumreicher de pathologia et therapia speciali chirurgica cum clinico, Ill. Klein clinicen obstetriciam, Ill. Hebra clinicen morborum cutaneorum, Ill. Meyr clinicen ophthalmiatricam, Ill. Siegmund clinicen syphiliticam.

Vere A. 1853 Berolinum reversus a Rectore magnifico Ill. Stahl in studiosorum numerum receptus, Decano ordinis medici Ill. Ehrenberg nomen dedi.

Disserentes audiui Ill. Casper de medicina forensi, Ill. Mueller de anatomia comparata, Cel. Troschel de aecologia; Ill. Langenbeck operationes in mortui institutas me docuit; ejusdem clinicen chirurgicam, Ill. Rom-

berg clinicen medicam, Exp. a Graefe clinicen ophthalmiatricam frequentavi.

Quibus praeceptoribus omnibus maxime colendis summas, quas habeo, gratias ago semperque habebo.

Absolutis tentamine philosophico nec non medico et examine rigoroso, spero fore, ut dissertatione inaugurali thesibusque palam defensis, summi in utraque medicina honores mihi tribuantur.

THESES.

1. Variola, Variolois, Varicella gradu tantum differunt.
2. Pyaemiae cum pure nihil commercii.
3. Vox „Morbis Brightii“ varios renum morbos denotat.
4. Ars medica tota in observatione.
5. Hysteria non est morbus sui generis.
6. Ineunte columnae vertebralis incurvatione Orthopaedia rejicienda.